

multis gratissimum fore uidebatur ut eum librum Latinum facerem et explanarem, quem si quis ante me illustrasset, ab eo magno me affectum beneficio pro mea parte putassem. Neque uerò me uel retardauit in uulgo tam recepta quorundam opinio, existimantium minus gloriosum aliena scripta quàm sua explicare et uulgo uenditare : uel rei difficultas impediuit, cùm etiam Delium illum natatorem quo erat opus, si quis fortè repertus esset, difficile uideretur in tanta nocte alicubi non offendere. Quandoquidem nec studio laudis adductus in hanc palæstram descendi, nec alioqui non libenter meam ipsius laudem quamplurimorum utilitati condonauerim : quanquam nostra sunt quæ in aliena scripta commentamur et optimos libros atque in arce Mineruæ iam consecratos, quamuis alienos, non incommodè interpretari et explicare semper laudabilius esse duxi quàm novos scribere, non deterrimos fortasse, sed minime necessarios. Difficultas uerò etsi aliquanto me mouit magis, quod, cùm omnes laudarent, nemo fere attingeret, ex eo facile, quamuis, tacentibus omnibus, intelligeretur quàm obscurus liber esset (nam Lutetiæ quidem ab uno Iacobo Tusano, Regio Græcarum literarum professore, uiro probissimo et egregiè cordato, semel tantùm publice enarratum fuisse audio; et Patauij ab uno item Lazaro Bonamico, præcipuo non solùm illius florentissimi Gymnasii, uerumetiam Italiæ totius ornamento, memini, túque certò scio meministi, qui illum assiduè audiebas), labore tamen fretus et diligentia, quam, quo minus ingenio possum, mihi subsidio comparauit, abiecta omni cunctatione, opus sum aggressus.

Itaque ad ipsum absoluendum quærens et inuestigans quicquid necessarium uidebatur, attentissimè legi Apollonii Alexandrini, qui δύσκολος cognominatus est, libros quatuor περὶ συντάξεως, ex quibus multa descripsisse Theodorum cognoui. Legi præterea quicquid nancisci potui librorum grammaticorum quod ad rem facere putarem, non solùm eorum qui impressi in tenebris adhuc delitescunt. Qua in re uir doctissimus et candidissimus Iacobus Gopylus medicus multum me et libenter adiuuit, ut est librorum Græcorum sagacissimus indagator. Aristotelem uerò et eius interpretes interdum etiam

